

originem vel agrorum emptioni, ac futurae fructuum collectioni ac venditioni, vel commerciorum exercitio adscriptimus, utrumque genus accessionum à Republ. Judaica abfuisse ex ante dictis patet. Atque agrorum quidem emptionem prohibitam apud Judæos fuisse exinde colligo, quod quovis anno Jubilæo cuncta, quæ antea emerant, restituenda venerint. Quapropter non agros, sed duntaxat fructus eorum, qui usque ad annum Jubilæum percipiebantur, emere licuit. Neque est quod excipias, magnum tamen lucrum ex fructibus parari potuisse; sed scias velim quod futurorum fructuum æstimatio admodum difficilis, neque tanta sit, ut magna hinc commoda resultare queant. Pone enim, me aliquam pecuniæ summam mutuo accepisse, ejusque ante septimum annum restitutionem promississe; pone etiam, me hac pecunia agri cujusdam fructus per triginta annos capiendos coëmisse; quomodo, quæso, quinque aut sex annis tantum pecuniæ haurire ex fructibus potuerim, quantum ad emendos eosdem mutuo ante sumserim? Quod si id sperari posset, sane ego agri vel fructuum venditorem valde læsissem, si tantum ipsi nummorum pro triginta annorum fructibus persolvisssem, quantum ex fructibus sex annorum, detractis detrahendis, solvere debuisssem. Qua de causa concludo, nullas pecuniæ accessiones ex agrorum emptione superfuisse. Inquis, forsitan ex negotiationibus hoc majora pecuniæ augmenta accreverint? Verum §. XV. ubi commerciorum apud Judæos neglectum defectumque ostendimus, pro nobis respondebit. Concedimus equidem, Judæos res suas, quibus abundarunt, vendidisse, cæterum id tamen certum est, quod proximis suis venderint; & posito, quod aliis quoque gentibus vendiderint, nondum tamen inferri exinde potest, eosdem mercaturæ studuisse; cum mercator non iis solum, quæ abundat, quæstum facit, sed simul iis, quæ appor-
tat. Et si quæ apportata sint bona, id ipsum ab aliis, Tyriis sc. factum esse ex *cit.* §. certum est. Cum itaque eas etiam pecuniæ accessiones, quæ ex commerciis proficiscuntur, cessare apud Judæos notum sit, nihil superesse video, unde pecuniæ fœcundam reddere potuerint. Proinde consequitur, stante hoc Reipublicæ statu, usuram quoque nullo modo stare apud Judæos potuisse. Jam vero quia nostras cæterasque Respublicas à Judæorum statu longe abesse constat, nemo erit, qui Judaicis legibus nos Christianos quoque obligari affirmaverit.

C

§.XVII,

179